DE TVSSI CONVVLSIVA.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARVM VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

AD SVMMOS

IN MEDICINA ET CHIRVRGIA ET ARTE OBSTETRICIA HONORES

RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

ET VNA CVM THESIBVS ADIECTIS

DIE XVI. MENSIS AVGVSTI MDCCCLXII

PVBLICE DEFENDET

FRANCISCVS MANGOLD

RHENANVS.

ADVERSARIORVM MVNERE FVNGENTVR:

L. BVSCH, MED. DD.

C. PVLHEIM, MED. DD.

H. FALDERBAVM, STVD. MED.

BONNAE

TYPIS FRIDERICI KRUEGER.

VIRO ILLVSTRISSIMO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO, SVMME VENERANDO

M. E. A. NAVMANN

REG. A CONSIL. MEDIC. INTIM., EQVITI ORD. AQ. RVBR. IV. CL., MED. ET CHIR. DOCTORI, MEDIC. PROFESS. PVBL. ORD., INSTITVTI MEDICI CLINICI ET POLICLINICI IN VNIVERSIT. FRID. GVIL. RHEN. DIRECTORI, COMPL. SOCIET. SODAL. ETC. ETC.

HASCE

STVDIORVM PRIMITIAS

PIO GRATOQVE ANIMO

D. D. D.

AVCTOR.

PROOEMIUM.

Quum moris sit, ut qui summos in medicina honores ad se deferri cupiant, commentariolum aliquod conscribant de rebus vel ad chirurgiam vel ad artem obstetriciam vel ad quamvis aliam medicinae partem pertinentibus, nostrum initio propositum fuit, ut aliquid de eo morbo infantium conscriberemus, quam „ang. membranaceam, laryngitidem crouposam, Croup, häutige Bräune" dicere solemus. Qua in re id maxime agebamus, ut, compluribus casibus, quos in clinico chirurgico bene evenisse observaveramus, adiuti, de tracheotomia admoneremus, qua nihil huic morbo vel utilius vel aptius est, dummodo casus talis sit, ut illa locum habere possit. Scilicet ante omnia — id quod maximae gravitatis est — operationi huic idoneum temporis momentum quaerendum neque omnino tamdiu expectandum est, donec oedema pulmonum inciderit; tum enim optima haec operatio vix aliud quidquam conferre, quam ad leniendos dolores potest; pro vita infantis vero utilitatem habet nullam. Neque vero, si id acciderit, operationi illi egregiae mors infantis imputanda, sed fatendum est, medici cunctatione esse factum, ut illa frustra sit adhibita. Sed veniam mihi

petendam video huius digressionis hymnique in operationem illam praeclarissimam, quippe cuius laudes exequi nobis non licuerit. Non enim sine aliqua perturbatione idem hoc propositum amici cuiusdam esse vidimus, qui cum sese multos iam casus collegisse narraret, ut de hac re, nobis dilectissima, scriberet, utique non potuimus, quin a proposito recederemus.

Aliam igitur scribendi materiam quaerentibus nobis, alius quidam morbus sese obtulit, qui altero illo et multo crebrior est, et idem ad infantes plerumque pertinet, tussim convulsivam dico. De hac igitur scribere propositum est, ita ut primum de historia et divulgatione geographica, deinde de decursu, denique enumeratis iis, quae sectione facta apparuerunt, de therapia morbi disseramus.

Morbus ille, quem hoc libello breviter describere propositum est, quando primo apparuerit, in litterarum momentis circumspicientibus nobis, diversissimae fuisse scriptorum sententiae apparet. Sunt enim, qui, quod a proavis nostris certum illi nomen inditum non est, credant, eum illis fuisse ignotum et ex Africa vel India orientali in Europam migrasse; alii autem, et hi quidem rectissime, mentionem eius iam in ipsis scriptis Hippocraticis fieri aiunt, cuius rei haece afferunt argumenta. Auctor enim libri Popularium (Opp. Hippocratic. Popularium. Lib. VI. Sect. VII edid. van den Linden. Vol. I. p. 814, 815) epidemiam catarrhalem describit, in qua paroxysmi appareant tales, qui secundum naturam suam maximam pertussis prae se ferunt similitudinem. Annotatur etiam, in diuturnua tussi paucos tamen febricitare, paucissimosque pneumonia esse vexatos. („Pauci febricitant et ex his valde pauci ad peripneumonicam affectionem devenerunt, . . . et omnes superstites evaserunt.") Denique additur, tam vehementes saepe fuisse tussiendi impetus, leves ut paralyses reliquerint. („Durissimae autem et violentissimae tusses erant, quae ad levem siderationem ac resolutionem perducebant.") Initio quidem minus vehementes tusses fuisse, numquam vero non subito impetu apparuisse. Quae quidem tota descriptio, quin in pertussim omni ex parte quadret, neminem putamus dubitare. Ulterius si litterarum monumenta persequimur, diversos morbos ad pertussim relatos essse intellegimus, qui ab ea sunt alienissimi. Velut quae anno millesimo trecentesimo octogesimo septimo Montepessulani orta est epidemia ad pertussim pertinuisse credita est, etsi eadem ex descriptione

Valesci de Tharanta, qui medicus erat illo tempore, ortumque et decursum eius egregie describit, nihil aliud, quam Influenza-Epidemia esse potest. (Philonium lib. II cap. 60. Lugdun. 1490. fol. LVXX b.) Haece de ea dicit: Et ego vidi Montepessuli anno, quo ego recepi licentiam, 1387, quod fuit catarrhus quasi generalis ita quod vix decima pars gentium praeter infantes evasit, catarrhum cum febre, et fere omnes decrepiti moriebantur propter causam dictam." Prima certaque memoria, qua morbus ille classice describitur, ad annum millesimum quingentesimum, septuagesimum octavum pertinet. Ballonius (Baillou) enim celeberrimus de epidemia „tussis quintae" tradidit. (id est, quintana, quod certis horis repetat, non vero intellegenda est quinta, scil essentia, id est rei alicuius efficax, praestantissimum, essentiale, cum nihil aliud sit, quam vocis Franco-gallicae „la quinte," impetus, versio barbara). Epidemia illa Parisiis grassata est et diligentissime descripta est, ita ut aperte ad pertussin pertineat. Recte igitur Ballonius descriptioni suae haece adiecit „Nondum quendam auctorem legi, qui de ea tussi verba faceret." vid. Bal. Epidem. lib. Constitutio anni 1578. p. 2. Opp. Genev. 1762. I. 165-173.

Posteriore tempore epidemia pertussis egregie descripta est apud Willisius qui pertussi nomina „tussis convulsivae seu spasmodicae" dedit. (De morbis convulsivis cap. 12. Amstelod. 1782, p. 92 et Pharm. rat. lib. II. Sect. I. cap. 6); deinde apud celeberrimum Sydenham. Constit. epidem. anni 1670. opp. Genevae 1736. vol. I. p. 122. Epistol. respons. ad Brady. Eidel citat 1. 194. Eandem describit Ettmüller in opusculo de morbis infantum. opp. Lugd. 1685. III. 70. tandem Lieutaud, Franko-gallus in Synopsi univ. prax. med. Amstelod. 1765. p. 493.

Praeter haece classica opera egregiae eius exstant descriptiones in multis monographiis, medioque saeculo XVIII. morbus fuisse cernitur in toto Europeo continente notus, late patens valdeque reformidatus, cui multa millia infantum

occumbunt. Paucis tantum Europae tractibus hic morbus pepercit, velut in insula. Islandia ubi quater tantum, hoc saeculo bis observatus est, annis MDCCCXXVI et MDCCCXXXIX, et in insulis Faroeis, ubi bis tantum hanc epidemiam grassatam esse, annis MDCCLXXVIII et MDCCCXXXVI constat. In terris vero Scandinavicis, velut in Suecia morbus ille terribilem in modum grassatus est, ita ut ab anno MDCCXXXXIX usque ad annum LXIV. quadraginta tria milia infantum morerentur. (Rosenstein, von den Kinderkrankheiten, Göttingen 1785, pg. 396), omnesque seriores nuntii e Suecia de hoc morbo post id tempus apparente ad nos perlati hunc morbum describunt ut valde periculosum multosque absumentem. Non minus letalis ille morbus in plerisque Russiae regionibus, Petersburgi, Orenburgi, Casani, in Belgio, Franco-Gallia, Helvetia esse deprehenditur.

In Brittania et Wallesia annis MDCCCXXXVIII usque ad LV. non minus quam septuaginta duo millia hominum id est quadragesima pars totius incolarum numeri, pertussi absumpta est; in Scotia idem morbus, Edmonstone auctore valde gravis et periculosus est. In Hibernia, Wilde auctore, morbus ille pestilentiae endemicae characterem prae se ferre et secundum letalitatem, quintum locum in hocce genere morborum tenere dicitur. Minus divulgata pertussis est in tropicis regionibus Asiae, in India orisque Chinae ad meridiem spectantibus. In Oceania usque ad nostra tempora nulla eius apparuerunt vestigia. In Brasilia a Sigaut pertussis „très- -fréquent — dicitur. Ex hac igitur descriptione brevissima, quam desumpsimus e Dr. August. Hirsch, prof. Sedan. classico opere „Ueber historisch-geographische, Pathologie,“ in quo tussis convulsivae propagationem accuratissime persequitur singulasque epidemias enumerat, intellegitur, pertussim unam esse e morbis latissime divulgatis, et modo hoc modo illo loco ad tempus evanescere, ut alio renovata vehementia oriatur, quae quidem multos infantes absumat, saltem ob pessimas illas complicationes, quas se-

eum ducit. Ac nomina eius apud diversos scriptores diversissma sunt, pro varietate caussarum, a quibus repetebatur. Haec fere usitatissima sunt:

„Pertussis, tussis convulsiva, seu spamodica, tussis ferina, canina clangosa, morbus cucularis tussis stomachalis, quinta, infantes strangulans, amphimerina tussiculosa, bronchitis epidemica, Germanorum Coqueluche, Keuchhusten, Stickhusten, Schreihusten Brechhusten, Esels- blauer Husten.

Definitio.

Auctores alii alias huius morbi definitiones dederunt, pro diversitate caussarum, a quibus eum repetebant. Ac nobis quidem maxime probatur ea, quae a Dr. Felix Niemeyer, Prof. med. Tubingensi profecta est, eaque nisus in casibus a me observatis impetus morbi, qui videbantur periodici esse, optime explicare potui, cum nunquam omitterem, infantium os ante paroxysmum inspicere, tumque, ut ait egregius autor ille, pharyngem glutinoso muco impletam deprehenderem, quo emisso, protinus paroxysmus cessavit. Definit vero pertussin ita, ut sit catarrhus membranarum mucosarum respirationis, lue epidemica ortus, initio a naribus usque ad alveolos pulmonales pertinens, postea vero in membrana mucosa laryngis et pharyngis se continens.

Decursus morbi. Plerique scriptores tria pertussis dicunt esse stadia, prout forma et natura eius variat, eaque probanda ratio est. Loquuntur igitur de statio catarrhali, convulsivo stadioque decrementi sive critico. Ac primum quidem stadium, ut ipso eius nomine indicatur, initium capit a febri catarrhali, leni coniunctivae rubore, epiphora, rigore, aliis id genus, quae cuique affectui catarrhali membranae mucosae sunt propria. Tussis magis minusve frequens est, et regularitatis quandam speciem exhibet, Neque tamen medicus ullus, nisi forte pertussim in urbe grassari sciat, ex his, quae

modo diximus, symptomatis pertussis diagnosin deducere potest. Quae pertussim sequitur febris satis levis dicenda est. Sputa sunt nulla plerumque aut cruda, pituitosa. Appetitio ciborum valde imminuta, somnus inquietus, sensibilitas adaucta. Febris tandem speciem plerumque remittentis exhibet et incipit cum horripilatione, quam calor modicus insequitur, cum pulsu frequente, parvo, interdum duriusculo et pleno, siti adaucta, doloribus capitis. Paucis diebus post febres evanescunt, affectus catarrhales, rubor coniunctivae, catarrhus membranarum Schneiderianarum, photophobia, attamen — et haec differentia est a ceteris affectibus catarrhalicis omnibus, membranarum mucosarum respirationis — relinquitur tussis pertinacissima et pituita tenax limpidaque postquam infans cum magna virium intentione tussivit, e faucibus et ore procedit. Quae secretio copiosa lentaque ubi apparet, ceteris quoque affectibus catarrhalicis accedentibus, certa est diagnosis pertussis. In altero quoque stadio secretum illud characteristicum est, et ex eo regularitas illa quae cernitur in impetu tussis optime nobis explicari potest. Iam singularis quaedam est tussis species apparentque in vehementes motus reflexivi in musculis laryngis, convulsiva glottidis praeclusio, a qua alterius stadii nomen repetitum est: stadium convulsivum. Raro tantum stadium primum omnino desideratur atque morbus statim stadium secundum intrat. In hoc igitur stadio aegroti de vehementi morbo sub sterno queruntur, impetus tussis diutius obtinent, noctu maxime atque ordiuntur a molesta laryngis titillatione. Cognita haec symptomata infantibus qui iam impetum in eo esse, ut appareat, non ignorant. Sunt inquieti, lusibus relictis, ut capite niti possint, ad mensam, ad sellam, ad matrem currunt, easque manibus complectuntur, paroxysmum exspectantes. Alii pectus asthmaticorum instar procurvant, alii manum utramque collo admovent, terram alii pedibus quatiunt, aetate minores, in lectulo cubantes, modo se erigunt, modo prosiliunt. Impetus ipsi tussis a longe protracto, sibilante strepitu incipiunt, quippe

aëre per contractam glottidem aegre hausto, tunc summa celeritate abrupti tussis impetus consequuntur, aëre exspirato singulis momentis glottidem aperiente. Qui protracti inspirationis subitique exspirationis impetus tamdiu apparent, donec lentum illud secretum emissum est. Tamque vehementes illae exspirationes sunt, ut ipsi cibi e stomacho eructentur, ut comprobatur reliquiis eorum in secreto repertis. Interdum secretum limitibus sanguinis distinguitur, et si valde vehemens est paroxysmus, sanguis saepe e naribus auribusque profluit, coniunctivae sanguis offunditur, infantesque admodum deformat. Statim ab initio facies rubra atque adeo caerulea fit et intumescit, venae iugulares sanguine tument, oculi stillant et e cavo proveniunt. Cyanosis acuta valde expressa est et hinc solum explicari potest, quod glottis convulsiva in vehementibus expirandi conatibus evacuationem venarum iugularium impedit. Denique tam vehemens paroxysmus ille esse potest, ut urina et excrementum sua sponte abeant herniaeque et prolapsus ani oriantur. Paroxysmi illi mane et ad vesperam vehementissimi esse solent. Ac typicam quandam his paroxysmis esse regularitatem, I. Huxhamio iam notum erat, cuius haec: accessio periodica haud minus certa quam „intermittentium poroxysmus“. (opp. Tom. I. p. 100) Ac saepe sane observatum est, paroxysmos summa regularitate quarta vel dimidia quaque parte hora, vel binis quibusque horis ortos esse. (Horsch Abhandlung von den Kinderkrankheiten, Bd. II. p. 360.) Ridley infantem observavit, in quo tussis decies quotidie cum summa regularitate apparuit. (observ. med. pract. obs. 20). Quin etiam hoc nonnumquam accidit, ut alternis diebus paroxysmum augeri et vehementiorem fieri videamus. Observatum etiam est, quod, si e numero aegrotorum, pertussi laborantium, unus tussire inciperet, omnes simul impetus tussiendi invasit. Sed singulares haece observationes sunt in morbo tam pervulgato, hisque solis fulcitur opinio, pertussim esse neurosam nervi vagi. Hoc sane concedendum est, non semper externos eventus ut caus-

us paroxysmorum afferri posse, quamquam clare dicendo, lamando, flendo impetus provocari potest; neque etiam negandum est noctu, nulla caussa apparente, velut aere inconclavi minime refrigerato, impetus tamen illos oriri et regularitatem quandam exhibere. At si infantem talem dormientem observamus usque dum impetu corripitur, semper eveniet – ut mihi certe semper contigit, — ut ante impetum crepitum quendam in larynge clare audiamus, cuius caussa est secretum illud pituitosum; tunc, incipiente paroxysmo si infantis fauces inspexerimus, eas muco iam expletas invenimus, quo emisso impetus quasi praecisus est. Proximus deinde impetus tum demum apparet, cum secretum denuo coacervatum novo impetu emittendum est. Hac una re igitur et intermissiones et decursus morbi typicus explicari potest. Quisque vero impetus insultum est membranae mucosae laryngis, quoque ille fuit vehementior, eo celerius secretum colligitur, eoque citius novus apparet impetus. Quare ut adulti, si, acutis catarrhis laryngis laborantes, sibi tussiendum esse dicunt, ut tussim reprimant admonentur, ita infantes summa severitate tussim coercere iubendi sunt. Hoc igitur stadium postquam duas vel tres hebdomadas vel totidem mensas duravit, tertium morbi stadium, stadium decrementi s. criticum orditur. Hic secretum lentum illud et copiosum in secretum multo magis liquidum et flavum commutatur; sputa, ut veteres aiebant, e sputis crudis sputa cocta fiunt, ipsaque hac secreti mutatione leniores etiam fiunt paroxysmi. In ipso impetu nec tumor venarum iugularium nec cyanosis faciei apparet. Congestiones ad caput in dies imminuuntur et phaenomena consensualia, haemorrhagia, convulsiones desinunt. Non iam, ut in altero stadio, anxii infantium oculi. Nullus iam spontaneus ob vehementiam paroxysmi exitus urinae stercorisve, nullae herniae vel prolapsus. Longiora fiunt inter singulos paroxysmos intervalla lucida, ipseque paroxysmus minus vehemens est et tussis speciem spasmodicam suam amisit cum ei in dies fiat similior, quae ultima catarrhi stadia solet co-

mitari. Interdum per complures dies plane omittitur, sed infanti minimae perfrictioni exposito revertitur. Quin membrana mucosa per aliquot menses valde irritabilis remanet atque etiam si infans plene reconvaluerit, quisque affectus catarrhalis convulsivam glottidis praeclusionem in tussi secum ducit matribusque metum incutit ne qui infantem modo reliquerit morbus formidabilis, is revertatur. Infantes nonnulli observati sunt, quibus per menses, adeo per annos risus aut lacrymae aut ira omnisque catarrhus intercurrens accessiones tussis provocaverunt speciem pertussis exhibentes. Hoce stadium per duas tresve hebdomades perdurare potest.

De complicationibus.

Non semper accidit, ut decursus tussis convulsivae tam clarus et purus sit, quam modo exposuimus. Saepe enim complicationes accedunt, morbi decursum turbantes hisque ipsis fit, ut tot infantes occumbant. Ac saepissime quidem cum bronchitide complicata cernitur, ita quidem, ut summi medici inveniantur, qui bronchitidem et tussim convulsivam eundem morbum esse dicant. (Marcus Guessent.) Itidem, propagato ad vesiculas pulmonales affectu, pneumonia catarrhalis, quae dicitur, oriri potest, et tunc bronchiis singulis sublimibus secreto obstructis, ita ut in alveolos eorum aër intrare nequeat, parietes bronchiorum, aere consumpto, coeunt et sese complicant, oriente Atelectasi huius partis pulmonum cum omnibus malis, inde proficiscentibus. Est quum pneumonia et pleuritis cum tussi convulsiva sese coniungant. Alae nasales et praecordia inter motum respirationis vehementer laborant tussisque anhelitu characteristico caret. Nullum sane de complicatione dubium percussio patitur. Hoc quoque accidit, ut meningitis in pertussis decursu oriretur, praesertim apud infantes, dentitione laborantes.

Infantes morosi caput crebrius arripiunt, in erigendo et movendo capite dolorem sentiunt; alvi obstipatio adest, pulsus frequentior, tussis rarior, sopor, coma, stridor dentium, strabismus, subitus e somno clamor, convulsiones adsunt, dum propria pertussis phaenomena minus perspicua sunt. Saepius Iadelot pemphigum adiunctum conspexit, semper cum exitu letali. Finazii exstat descriptio casus, quo una et angina membranacea et pertussis in puero decem annorum orta est. Pertussis prima invaluerat. Per totum morbum ea tussis, quae ab angina membranacea oriebatur, a pertussi discerni poterat. Modica erat anginae membranaceae vehementia secretumque concrementorum in trachea conflatorum vi paroxysmorum pertussis admodum sublevari videbatur. (Révue médicale 1828 cap. 4. pag. 55.) Nonnulli auctores, quod pertussis non raro cum his morbis acutis exanth.: morbillis, scarlatina, variolis vel una oriebatur, vel eos subsequebatur, affinitatem quandam inter eos statuendam esse putaverunt. Velut Prohl morbillorum et pertussis plane idem contagium esse contendit. (Program. de analogia inter morbillos et tussim convulsivam Lips. 1789.) Hoc sane concedendum est, multis epidemiis collatis relative saepe accidere, ut morbi acuti exanth. cum pertussi coniuncti sint, sed id tamen non tam saepe accidit, ut cum auctore illo morbilli et pertussis idem unumque esse credi possit. Recenti memoria a Dr. Hirsch, adquem CCCCXVI relationes epidemicae delatae erant, haec collatio facta est:

In quadringentis sedecim epidemiis centiens septies coincidentia cum acutis exanth. reperta est, quum in ceteris trecentis novem epidemiis talis nulla adesset. Triciens morbilli et pertussis coniuncta erant, in quattuordecim epidemiis pertussis secuta est, in quinque morbilli. In quattuor epidemiis variolae et pertussis una obtinebant. In quattuordecim variolae et pertussis communiter regnaverunt. (Hirsch „Historisch, geographische Pathologie. II. Bd. pag. 112.) Memorabile Ienneri dictum est, infantes modo vaccinatos

pertussi liberos mansisse et vaccinatione eos, qui pertussi laboraverint, nequedum vaccinati fuerint, admodum sublevatos et morbo breviore tempore vexatos esse. Inter morbos secundarios referenda sunt commotione vehementissima et musculorum contractionibus effecta, herniae, prolapsus, struma, aneurysma cordis. Quodsi aliqua dispositio tuberculosa affuit, eam in pertussi rapidissime augeri videmus. Pertussim saepissime sequitur emphysema, qua de caussa multos infantes videmus, qui exacta pertussi per totam vitam asthmatici remanent, donec gravioribus annis affectibus hydropicis et intoxicationi acidi carbonici occumbant.

De phaenomenis anatomicis.

Obductione infantium, pertussi abreptorum, facta, diversissima apparuerunt et prout unum vel alterum abnorme repertum est, alii auctores alias caussas attulerunt. Ac quum, regularitas illa paroxysmorum et intervallorum lucidorum maxime spectaretur in necroscopia imprimis in medullam oblongatam nervumque vagum inquisitum est. Clarissimus ille Autenrieth, cuius maximum nomen est in litteris medicinis, in cadavere infantis, hoc morbo consumpti, neque in pulmone neque in trachea neque in corde neque in pleura ullum inflammationis vestigium deprehendit. At nervi vagi admodum affecti esse visi sunt. Hi in solo collo naturalem suum et album colorem exhibebant, in cavo thoracico rubri erant. Neurilema valde iniectum erat, medulla dissecta rubrum colorem praestabat. Quae eadem mutatio reperta est in sublimibus illis ramulis nervorum, qui ad plexus pulmonales et cardiacos pertinent itemque in ramulis nervi sympathici in cavo thoracico. (Tübinger Blätter für Naturwissenschaft und Arzneikunde. Tübingen. 1815 Bd. I. N. I. S. 23.) Hoc quoque Romberg fatetur, se ad inflammationem vagi in tussi convulsiva diu animum attendisse, quam

crebro, minime tamen *semper* invenerit. Carus in cadavere infantis, pertussi consumpti, nervos phrenicos mollitos et in ramificationibus inferioribus satis tumentes invenit. Nervus vagus eodem modo mollitus et humectatus repertus est, at sympathicus magnus maximeque nervi splanchnici ab illo proficiscentes iique, qui ad plexum coeliacum pertinent, tumidi quidem erant, sed solidiores, quam alias. (Annalen des St. Jacobs Hospitals v. Libz. 1812. Hft. 2. S. 150.) Guibertus nodos nervorum in Trachea valde tumidos et inflammatos deprehendisse se dicit. Brechet nervos pneumogastricos extrorsum rubros, introrsum flavos invenit. (Desruelles Abhandlung über Keuchhusten aus dem Franz. übersetzt von D. Busch. Bremen 1828. Iniectiones cerebri membranarumque eius itemque extravasatio serosa in ventriculum saepius observatae sunt. Sed hi tamen necroscopiae eventus singuli quidam sunt magisque ad morbi complicationes, quam ad ipsum morbum pertinere videntur multique auctores qui illa, quae modo diximus in necroscopia deprehensa esse bene sciebant et in sectione ad ea animum attendebant, nihil eiusmodi reperire potuerunt. (cf. Kruckenbergs Jahrbücher der ambulat Klinik zu Halle 1820.) Unde factum est, ut Rochet et Samson, cum vagum inflammatum non esse viderent, hoc mire dictum ederent, quod nullum inflammationis cerneretur vestigium, eo minime probari, nullam vagi irritationem adesse, quippe quae tantum nervosae naturae esset. Zitterland (Rust. Mag. XXII, 2. 1826) parvas bullulas describit, quas sub lingua iuxta frenulum linguae in omnibus infantibus pertussi laborantibus invenerit, quaeque in paroxysmo morbi ruptae sint et aequalem cum morbo habuerint decursum. Sed id nullius alius auctoris testimonio confirmatum videmus. Et hunc in modum multi auctores in res quasque fortuitas, quae in necroscopia cernebantur, animum attenderunt, easque ut summi discriminis pro morbi explicatione pervulgaverunt. Mihi ipsi quidem nulladum fuit occasio, sectionem infantium pertussi abrepto-

rum instituendi, sed hac in re plane confido Prof. Felici Niemeyero, viro celeberrimo, cuius haec: In der Leiche seien *constant* die Zeichen des Catarrhs, Röthung Auflockerung, Anschwellung der Schleimhaut, Anhäufung von zähem Sekret in den Bronchien, der Trachea, dem Larynx". (Verzch. Niemeyer l. c. Bd. 1. pag. 75.) Consentaneum est, membranam mucosam non hunc gradum ruboris et iniectionis vasorum exhibere, qui pro intensitate affectuum vivi adhuc hominis exspectandus erant.

Huius rei caussa posita est in magno numero illo fibrarum elasticarum in membrana mucosa glottidis exstantium, quae post mortem corrugantes sanguinem e capillaribus exprimunt. Sed haec de necroscopia, nunc ad morbi aetiologiam transire in animo est.

De aetiologia.

Pertussis plerumque epidemiae specie, fere nunquam sporadice oritur, siquidem ea res, quae alias affectus catarrhales laryngis, tracheae, pulmonum efficiunt, membranam mucosam nunquam tanta vehementia irritant, quanta res illa ignota et epidemice grassans, quae pertussis caussa est. Quid, quod plane eodem modo cholera nostras (sporadice grassans) nunquam hanc vehementiam exhibebit, quantam cholera asiatica ostendit. Subito temporibus quibusdam in infantibus pertussim oriri videmus, similiter ac influenzam invadit illa infantes inde ab ortu usque ad dentitionem alteram, id est usque ad septimum annum raro aetate maiores, quamquam etiam adulti plane immunes non sunt. Ac puellae quidem saepius ea corripi dicuntur, quod tamen ad adultos tantum referendum est, idque J. Frankio auctore imprimis ad gravidas et puerperas. Contagiosum autem esse morbum, dubium vix est, quum videamus regiones eas, quibus nullum erat commercium cum aliqua regione, in qua

pertussis grassabatur, ab ea liberas mansisse, sed vixdum commercio facto, ab ea vexari coeptas esse, velut Australiam, Californiam. Ac contagium quidem aliquod pertussis adesse, e veteribus viris doctis Storch (Kinderkrankh. Bd. II. S. 366.) et Marcus (der Keuchhusten S. 122) censuerunt; contagiositatem eius prorsus negarunt Max Stoll (Rat. medend. P. II. p. 184 et Danz (Hufeland Journal für prakt. Heilkunde. Bd. VII. S. 178). Canstat enarrat, se puerum quendam, grassante epidemia, ita, ut eum a ceterorum puerorum commercio intercluderet, liberum illo morbo servasse, sed tertia epidemia grassante suum ipsius filium, cum eum a ceteris comparibus secernere non posset, pertussi esse correptum. J. Frank dicit, pertussim ab aegrotis ad aegrotos, ab ipsoque saepe medico a domo ad domum, ab urbe ad urbem delatam esse et quidem tam perspicue, ut viam qua contagium pergat, pedetentim accuratissime sequi possis. Maxime vero contagiosus morbus posteriore periodo est, decrescentibus affectionibus convulsivis, auctis vero secretionibus bronchialicis. Frigoribus affectibusque deprimentibus augetur periculum contagii. Storch sesse compertum habere dicit, contagium facilius ab infantibus natu maioribus ad aetate minores, quam ab his ad illos transferri. Quamquam vix dubitari potest, quin adulti quidem solo contagio pertussi corripiantur. Tempus vero contagii vel paucos (2—3) menses vel totum annum complecti potest; Epidemiarum centum triginta quattuor haec fuit ratio,

14—2	menses
19—3	—
23—4	—
12—5	—
27—6	—
8—7	—
6—8	—
5—9	—
7—10	—
1—11	—,

fredecim totum annum et supra duraverunt. Pertussim vero, ubi semel orta sit, periodis quibusdam interpositis redire, rarissimum est, idque sicubi factum est, fors fuit. Velut si epidemias Erlangiae spectamus, diversissimis eas periodis ortas esse videmus, annis 1817, 26, 29, 41, 46, 57.

Rationes vero climaticae multum conferunt non solum ad genesin morbi, sed etiam ad eius decursum, recteque faciunt Watt et Thomsen, quod morbum in regionibus calidioribus minus crebrum et perniciosum, quam in frigidioribus terris esse dicunt. Et iis quidem mensibus, qui et frigidiores et subitis temperaturae vicibus insignes sunt, morbus ille saepissime grassatur. Ex inquisitionibus quidem ab Hirschio in 183 casus institutis initium epidemiae incidit

nonagies	sexies	in	ver,
71	—	—	in aestatem
79	—	—	in auctumnum
114	—	—	in hiemem.

Hieme igitur et vere saepius orta est, quam aestate et auctumno; singulorum vero mensium haec fuit ratio:

vicies novies	in	Ianuarium.	decies quater	in	Iulium.
20.	—	Februarium.	9.	—	Augustum.
17.	—	Martium	11.	—	Septembrem.
13.	—	April.	17.	—	Octobr.
18.	—	Mai.	9.	—	Novembr.
13.	—	Iuni.	13.	—	Decembr.

Nullum vero discrimen in diversitate gentium generumque hominum positum est. A Prunero certe pertussis in Aegypto apud infantes cuiusque coloris observata est et e testimoniis Tschudii et Sigaudii etiam indigenae Americae meridianae ea corripiuntur; Bertherand testis est, infantes incolarum Arabicorum Algeriae persaepe pertussi laborare.

Mira quaedam Desruellii sententia de pertussi est. Is naturam eius in congestione cerebri et pulmonum, eodem tempore orta, positam esse censuit (a. a. S. 79.) Quae sententia a cavissimo praeceptore meo, Prof. Dr. Naumanno his refutata est: I. postquam paroxysmus per sat longum tempus obtinuit, congestiones cerebri tandem oriuntur. II. Haec ipsae saepe tam parvae sunt, ut vix animadverti possint. III. Unaquaque longiore cerebri affectione congestiones cerebri procreantur, ut in pneumonia et bronchitide. IV. Si illae abinitio adessent, paroxysmo pertussisnon tollerentur sed augerentur. V. Sunt infantes, qui eodem tempore bronchitide et inflammatione cerebri laborent ita, ut nihil inveniatur, quod ad pertussim pertineat.

Ii morbi, qui pertussim plerumque sequuntur, sunt bronchitis, pneumonia, oedema pulmonum, emphysema bronchiectasia, rarissime vero, idque aperte ob pertussis vehementiam, morbi cerebri. His omissis igitur, principalem caussam tussis convulsivae catarrhum esse intellegimus, ortum sub rationibus epidemicis, atque hoc consentaneum est, perfrictionibus omnibusque rebus, quae affectus catarrhales provocant, dispositionem ad tussim convulsivam non posse non augeri, prorsus eodem modo, quo exempli gratia, mala diaeta diarrhoeaeque catarrhales homines cholerae asiaticae capaciores reddunt.

Diagnosis.

Pertussis, quamdiu in primo stadio, stadio scl. catarrhali est, diagnosis nulla institui potest, tumque demum, si illa in urbe grassatur et infantes corripuit, eam adesse aliqua cum certitudine coniicias. Quis enim quae primo stadio exhibet symptomata catarrhalia ab unoquoque laryngis et tracheae affectu catarrhali discernere possit? Sed alterum

stadium ingredientis diagnosis fieri potest, quamquam tum quoque tussis convul. facillime cum bronchitide acuta confundi potest. Magnae sane sunt differentiae eius inflammationis, quae in tenuissimis bronchiis continetur. Qui bronchii tenuissimi quam sensu careant, abest sensus ille rodendi et saucietatis in pharyngc et trachea, qui tussim convulsivam comitatur. Secretum etiam differt, quod, obstructis bronchiis sublimioribus, nullum aëra habet, ideoque sub aqua mergitur. Sed affectis quoque maioribus bronchiis et trachea, difficillima est diagnosis, quum prorsus eadem caussa, secretum illud tenax, tussim provocet, tussisque ipsa oriatur toties, quoties secretum ibi collectum est. Itaque tum solum certa est diagnosis, si epidemia adest, idque eo magis si aegroti nulli rei expositi fuerunt, quae communiter bronchitidis etc. caussae sunt. Ne illa vero cum pneumonia confundatur, adhibenda est auscultatio et percussio.

De Prognosi.

Satis constat, tussim convulsivam, si simplicem suumque habeat decursum neque cum complicationibus coniuncta sit, nostris regionibus rarissime lethalem habere exitum. Quod quum matribus notum sit, quae ab initio morbi magnis curis vexari solent, ob infantium respirandi molestias, ruborem faciei etc, eadem non raro, decurrente morbo, curam remittunt propter opinionem vulgatam, post viginti hebdomadas morbum bene decurrere, ita ut cum summo saepe infantium detrimento ea, quae opus est, curatio negligatur. Concedendum est, nostra memoria hunc morbum tam malignum non esse, quam saeculis decimo septimo et octavo, ubi epidemiae, pestis instar grassantes, ortae sunt. Quid, quod anno 1630 Romae et in regione adiacente tam funestus ille morbus fuisse dicitur, ut viginti milia infantium, non

minus ab eo abrepti sint; unde a scriptoribus ille morbus tussis pestilentialis nomen invenit. Haec autem in prognosi maxime exspectanda esse videntur:

1. Primum igitur ab aetate prognosis pendet, infantesque fere omnes morbo occumbunt, qui adhuc a matre lactantur, quare Cullen plerasque mortes infantinm usque ad tertium annum accidere dixit. Hoc inde demonstrare conati sunt, quod dicerent. apud infantes minimos natu foramen ovale nondum clausum esse et ob eam rem mixtionem sanguinis utriusque cordis oriri itaque cyanosin acutam apparere quam in infantibus reperiamus. Sed haec explicatio ideo reiicienda est, quod symptomatum illorum funestorum cyanosis aliae quaedam caussae sunt, siquidem in violentis illis respirandi conatibus, glottide convulsive intenta, venae iugulares tument, neque sanguinem in thoracem transmittere possunt. Sed ea re infantes moriuntur, quod obstructis bronchiis sublimibus illis, atelectasia pulmonum oritur.

2. Deinde magni momenti est infantium laborantium constructio. Sani enim et bene nutriti infantes tussim convulsivam facilius perferunt, dummodo ne complicationes ullae accedant, quam infantes infirmi maleque alti, qui a parentibus tuberculosis scrophulosisque orti sunt quique sanguine vehementer ad pulmones affluente, facile morte abripiuntur.

3. Natura denique epidemiae et ratio, qua quaeque epidemia grassatur, ad prognosin multum conferunt. Nam ex historia huius morbi satis constat, non eadem semper vehementia epidemias grassari. Temperaturam denique magni momenti esse supra diximus itemque de regionibus et anni temporibus.

Omnium autem maxime in prognosi spectandae sunt complicationes quaeque huius morbi cum aliis, qui saepe iam pro se soli satis periculosi sunt. Quodsi iam convulsiones apud infantes dentitione laborantes vel affectiones cerebri apud adultos adsunt, planum est, his rebus prognosim admodum

funestam fieri. Item pertussis cum diarrhoeis continuis coniuncta, cholera infantium quae dicitur, omnino letalis dicenda est. Bronchitis quoque, quae tussim convulsivam libentissime sequitur, prognosin valde turbaret, siquidem obstipatis bronchiis, infantes vires deficiunt ad tollendam occlusionem impetu expirationis. Periculosissima quoque coniunctio tussis convulsivae cum morbis exanthematicis acutis est, qui quidem saepe per alias complicationes maligne incidunt. Ex iis, quae diximus, facile intelligas, tussim convulsivam per se solam raro malum exitum habere, sed funestis illis complicationibus, quae quidem in hoc morbo saepissime reperiuntur, admodum periculosam et letalem fieri posse. Deinde symptomata diversa in ipso morbo prognosin turbare possunt. Ita vehementia et multitudo paroxysmorum, magna opera in eructanda pituita illa tenaci et fila ducente, crebra stomachi evacuatio, aliaque non possunt, quin prognosin minus bonam apparere faciant, quam si longa sunt intervalla lucida, matureque sputa cocta appareant et quae sunt generis eiusdem.

De Therapia.

Quod in omnibus fere morbis accidisse videmus, ut medici aliis temporibus alia remedia commendarent, bonumque eorum eventum praedicarent, idem in morbo illo, quam descripsimus, accidisse consentaneum est, quum is ab omnibus novissimorum saeculorum medicis observatus et tractatus sit. Sed cum medici, ut supra dictum est, diversissima de eius origine sentirent et in iis niterentur, quae obductione facta ab iis reperta erant, pro sententia quaque eorum de caussis morbi diversissima quoque fuit de ratione medendi sententia. Velut si Desruelles pertussim a congestione pulmonum et cerebri deducebat, nihil magis consentaneum fuit, quam cum hirudinibus post aures oppositis paroxysmos minui

voluisse. Itaque suam quisque medicus sententiam sequebatur, mirumque paene videatur, organismum non repugnasse remediis illis, ex parte diversissimis, quae adhibebantur et quae esse efficacissima auctores praedicaverunt. Velut Lombardius (Bibl. univ. de Genève 1838, pag. 119), memoriae prodidit, se ferrum carbonicum viginti quattuor horis non minus, quam 18—36, gr. dedisse, idque cum eventu optimo! Singulare quoddam remedium, quo huic morbo finis imponeretur, in eo potitum erat, ut terror infantibus incuteretur, id quod enarrat Thomas Willissius ille celeberrimus, quem notum est, primum hunc morborum ut tussim convulsivam descripsisse: „Hinc cum medicamenta minus afficiunt etc.“ in corpore humano. op. ann. ed. Geneve vol. II, pag. 63. Etiam ad diversissima externa remedia confugerant. Krimer respirationem vaporis aquae laurocerasi commendat, cuius ʒ 1. in ferventem arenam infundi et per quindecim vel viginti minuta vaporem in pulmones duci iubet. Alii unguentum ab Autenrietho commendatum e tart. stib. infricuerunt. Little pectus et collum oleo terebinthinae tingi iussit; clysmata, spasmos sedantia, balnea tepida, aromatica valde commendata erant. Jenner multique medici Americani cum illo contenderunt, vaccinatione tussim convulsivam in tertia hebdomade interrumpi posse. Inde ridicule quidam putaverunt, pustulis vaccinariis pro medicamentis epotandis tussi convulsivae mederi posse. Sed nostrae memoriae laus debetur, quod in therapia pertussis maiores progressus facti sunt, cum ab hac sententia proficiscerentur: quia pertussis contagio aliquo nobis ignoto, et contra quod nullum remedium specificum habeamus, orta sit, ipsaque pertussis per se fere nunquam letalis sit, hac igitur de caussa animum attendendum esse imprimis ad complicationes, quae cum morbo illo coniunctae sunt, quippe quibus solis et contristetur prognosis et malus exitus adducatur. Itaque cum constet, tussim convulsivam vix aliter, quam epidemice oriri, saepeque in ea contagium aliquod procreari, severissime praecipiendum est parentibus, ut in-

fantes ab omni aequalium commercio prohibeant, eos maxime, qui corpore minime firmo sed invalido vel tuberculosi et scrophulosi sunt, quippe quos pertussis fere semper in maximum discrimen inducat. Quae res quam bonum habeat eventum, supra dictum est, cum Hufelandii clarissimii exemplum afferemus. Sed hoc minime singulare quoddam est, sed ex historia epidemiarum multa exempla casuum memorabilium agere possum, quibus sola interclusione sanorum ab aegrotis factum est, ut hi incolumes evaderent. Sed longum est, pro ambitu opusculorum huius generis. Sed quum pertussis quoque dispersim oriatur et haud dubie affectionibus catarrhalibus vel iis rebus, quae plerumque catarrhi causa sunt, provocetur, infantes temporibus epidemiarum pertussis ab omni catarrho defendendi et omnes affectiones catarrhales, si quae adsunt, quam diligentissime custodiendi sunt. Eadem ratio est et causa celeberrimorum practicorum cholera asiatica illa formidabili oriente urbesque regionesque devastante, cum unamquamque quamvis levem diarrhoeam summa cura custodiant, quippe qua capacitas pro morbo illo periculosissimo augeatur.

Indicationi causali, quum quae res pertussis causa sunt, removeri nequeant, satisfieri nequit.

De indicatione morbi quidem nemo hunc imbibat errorem, ut hirudinibus vel venaesectione affectus catarrhales tolli posse credat. Ipse Bouillaudus et qui eum secuti sunt, quorum summa fuit liberalitas in detractione sanguinis sectioneque venarum nullum inde sibi eventum in affectibus catarrhalicis organorum respirationis promiserunt. Nihil enim aliud quam infanti vires detrahuntur, quibus ei maxime opus est, ita ut non iam firmiter respirare possit, quo nullum damnum maius est. Itaque, siquidem pertussis nihil est, quam catarrhus, etsi et aliis caussis oritur, quam simplex catarrhus et multo pertinaciore natura et decursu est, optimum est, rationem inire diaphoreticam, cuius optimos esse eventus persuasum mihi est. Et quod Oppolzer, celeberrimus

ille, tussim convulsivam optime decurrere dicit, si infantes aequabili temperatura in conclavi retinerentur et custodirentur, nullis datis medicamentis, id etsi plane ita, ut dictum est, probari nequeat, tamen multis ex partibus habet a veritate commendationem certeque infantibus sub huius auctoris cura melius esset, quam in manibus multorum practicorum, qui hanc opinionem nondum reiecerunt, tussi convulsivae medendum esse medicamentis specificis. Nam metallica nervina, cuprum, Zincum, itemque argentum nitricum damnanda sunt, quae medicamenta num nomine metallicorum nervinorum digna sint, valde dubium est. Lavacrum tepidum saepius repetitum, in lectulo remanere, continua levisque transpiratio, potio theae tepidae cum liq. Amon. anisat., parvum quoqne, si aptum videtur emeticum; apud infantes singulis horis ad cochlear minus syrup. Ipecacuanh.; apud eos, qui natu maiores sunt, 2—3 gr. tart. stibiat. in ℥ 11. aq. dest. eiusque item post quartam quamque horae partem portiuncula, optima remedia sunt, ad augendam diaphoresin. Infantes deinde gausapam pro pectore portare et summa cura ab omni perfrictione defendi debent.

Denique quod ad curationem symptomaticam pertinet, ante omnia opus est, ut tussis illa molestissima leniatur. Quod quo melius successerit, tanto magis ipsius morbi decursus lenietur. Paroxysmis enim intensitas et vehementia inflammationis catarrhalicae membranarum laryngis aluntur. Nam si ultimus paroxysmus vehemens fuit, tanto facilius propter aëra transeuntem et expiratum, quo tunica mucosa laryngis irritatur, secretum in larynge iterum conflabitur. Ibi secreto larynx irritabitur, quae partim ob spasmum reflexivum, partim quod irritationi et titilationi resistere nequit, novum paroxysmum provocavit. Et in hac una re caussa esse videtur, quod in adultis qui tussi convulsiva laborare dicendi sunt, morbus lenius decurrat, quia titilationi et ustioni facile resistunt, neque protinus propensioni ad tussiendum cedunt. Itaque valde commendandum est, ut

infantes admoneantur, ne nimis diu tussiant caveantque, ne nimis acriter sese expectorent. Nam si severe curaveris, ut haec regula observetur, eventus optimus erit. Itaque non falso femina quaedam nobilis ait, pertussim optime virga sanari. Hanc rationem valde adiuvare possumus, si putaverimus, ipsam pituitae tenacitatem causam esse, cur tam diu ac continenter tussiatur, cum haec pituita partim laryngi et epiglottidi adhaereat, et hoc modo semper tussim et suffucationem producat. Huic rei maxime apta sunt alcalia carbonica auctore Frerichs, viri celeberimi et de medicina optimi meriti Prof. Berol. Itaque simulac in larynge et pharynge strepitus ortus erit, parva dosis natri vel calii carbonici detur vel auctore Billiet, qui eo in epidemiis Geneviae anno 1851 multum usus et coniunctum cum Coccionella hac mixtura:

R. Coccionellae gr. xii.
Kali carb. ʒi.
Aq. Dest. ℥iii.
Syrup simplc. ℥i.
D. S. bei drohenden Anfalle, ein Kinderlöffel.

Insignia quoque in curanda tussi convul. narcotica quoque sunt et in his maxime Belladonna, Hyocyamus, Opium Cicuta, Stramonium, Lactacarium et stipites Dulcamarae comendantur. Etiam endermatice narcotica inspersa sunt. Huc pertinet methodus, qua utitur Berndt, (Klinische Mittheilungen 22tes Heft, Greifswald 1834 pag. 70 etc.) qui ab initio stadii convulsivi morphium aceticum endermatice adhibuit idque omnia remedia superare arbitratur. Sed ex 22 infantibus, quibus hoc medicamentum portiunculus $^1/_4$ – $^1/_2$ gr. inspergebatur sex affectibus, qui e veneno narcotico oriuntur, correpti sunt et in his solis prosper eventus fuit. Apud decem alios sedatio parva fuit, apud sex denique nullus omnino eventus fuit. Mayer morphium aceticum $^1/_2$ gr. quotidie adhibuit, quo in scrobiculo cordis insperso simulque

adhibito emetic,, optimun eventum fuisse dicit. Quam saepe accidit in bronchitide ubi aegroti paene continenter tussiunt, somnum capere non possunt, anxio vultu, oculis volventibus, in lecto versantur, si vespere pulvis. Doveri cum illis datum vel interdiu opium sumptum est, paroxysmos mirum in modum minutos; ipsisque paroxysmis minutis postea secretum collectum facilius emitti potest; desunt angores vehementesque dolores capitis. Eandam utilitatem narcotica infantibus afferunt, pertussi laborantibus, siquidem hic quoque eadem noxia causa est. Cautissime sane agendum est, si apud infantes narcotica adhibemus, qui persaepe in parvas eorum doses valde reagunt. Infantibus duorum vel quattuor annorum aliquot stillae tinct. opii per diem detur. Infantibus admodum parvulis syrupi opiati portiuncula detur, antequam cubitum eant. Unum e narcoticis remedium maxime commendatum est in tussi convulsiva, Belladonnam dico, quam Lebert commendat bis vel quater quotidie gr. β—gr. I. cum Zinc. oxyd. vel gr. I, extract. Bellad. solv. in, aq. dest. ℥I. S. 3—4mal täglich 15 Tropfen.

notissima formula est Trousseau et Pidoux.

℞. Extract Bellad gr. IV.
Syrup. opiat.
syrup. flor. aurantaa ℥ 1. S. 1—4mal täglich ad cochl. minus.

Belladonnam maxime laudat celeberrimus ille Naumann dilectissimus professor meus, — et nullus dubitat, quin remedium illud initio morbi, i. e. eo tempore porrectum, quo spastica indoles nondum penitus expressa apparet, non raro veram prophylaxin exhibeat, eum in modum, ut pertussis, qua talis (forma sua characteristica), omnino non evolvatur. In morbo adulto belladonna vim laudatam non exhibet, attamen Naumann fere semper observavit, spasticam morbi indolem, si magna vi creverit, per aliquot generosi remedii

doses, optime posse refranari et ad minus periculosum gradum reduci. Quibus in casibus doses minores maioribus semper praeferendae esse videbantur.

Lactucarium quoque a magnis auctoribus maximeque a Krukenbergo admodum laudatur, cum non desint auctores, qui eius efficatiam valde dubiam esse dicant. West hanc formulam praecipit.

R. Tinct. Ipecac. gtt. V.
Vini stibiati gtt XXX.
Tinct. Opii benzoic. gtt XV.
Emuls. amygd. ℥i. S. quaternis horis ad cochl. minus.

Insigne quoddam medicamentum narcoticum praesertim in praxi infantium aq. amygd. am. esse videtur. Quae certe in t. c. adhibenda est, modo infantes summa cura custodiendi sunt, respectu narcosis.

In indicatione symptomatum denique diversae morbi species observandae sunt cum quibus t. c. libentissime coniungitur et quae praecipuae caussae sunt cur tot infantes occumbant. Maxime vero de creberrimis illis complicationibus cum tussi convulsiva cogitandum est, ubi post terribilissimos affectus asthmaticos denique effigiem intoxicationis acid. carbonici oriri videmus. Bronchii tenues enim obstipantur, infantem vires defficiunt ad tolendam respiratione obstructionem et cum hoc modo aer in vesiculas pulmonales intrare nullus possit, qui in illis est aer resorbetur, parietes vesicularum pulmonalium concidunt adestque atelectasia. Recte igitur emetica in curanda t. c. magnam celebritatem nacta sunt. Quam facile enim atelectasia talis oritur et quam crebro fit adhibitis emeticis, ut vehementibus motibus eructandi bronchiolorum obstructio removeatur. Sed res ipsa docet ad haec remedia tum demum confugiendum esse, cum re vera complicatio talis adsit et casus talem therapiam postulet.

Ceterae species morborum quae cum pertussi oriuntur, suam quamque curationem postulant, de qua hoc loco dicere alienum est.

Infantes vero hoc morbo vexatos propter morbi longiquitatem, appetitus defectum continuum, perpetuam eructationem et tussim facile admodum infirmos ac debiles fieri, facile intelligas et ob eam rem maxime in tertio stadio coacti esse possumus alimentis robustis, carne, ovis, vino et medicinis roborantibus, maxime ferro, debilitatas infantium vires augere, ut plenus collapsus caveatur.

VITA.

Natus sum ***Franciscus Mangold***, anno huius saeculi XXXVI die mensis Novembris, Coloniae Agrippinae, patre optimo ***Georgio Mangold***, matre ***Maria Adelheid*** e gente ***Odenthal***, quos parentes mihi ad hunc usque diem Deus optimus salvos retinuit. Fidem profiteor catholicam. Primis litterarum imbutus elementis, gymnasium catholicum Coloniense, quod tunc rectore ***Birnbaum*** floruit, per sex annos frequentavi. Quod gymnasium tempore autumnali anni MDCCCLVIII maturitatis testimonio instructus reliqui. Mense Octobri eiusdem anni almam litterarum sedem Bonnensem petii ibique a rectore magnifico ***Jahn*** in numerum civium academicorum receptus, in medicorum ordinem a Decano spectatissimo ***Busch*** inscriptus sum. Professores illustrissimi, quorum scholis exercitationibusque practicis per quadriennium interfui, hi sunt: ***Bischof***, ***v. Calker***, ***Noeggerath***, ***Plücker***, ***Treviranus***, ***Troschel***, philosophis, medicis ***Albers***, ***Busch***, ***Deiters***, ***Kilian***, ***Naumann***, ***Pflüger***, ***Schaaffhausen***, ***Schultze***, ***de la Valette***, ***C. O. Weber***, ***M. I. Weber***, ***Wutzer***.

Quibus omnibus praeceptoribus, optime de me meritis, gratias quam maximas ago, semperque habebo.

THESES.

1. ***Pulsationis foetalis absentia foetus mortem non indicat.***
2. ***Graviditas molaris non est diagnoscenda.***
3. ***Sunt partus sine dolore.***
4. ***Nullum signum specificum tumorum benignitatis aut malignitatis.***
5. ***Fistula ani in tuberculosi laborantibus non sananda.***
6. ***Exanthemata quae vocantur syphilitica aliquid specificum praebent atque peculiare, quo diagnosis facilior redditur.***